ELEGIA
AD
PAVLVM PATREM
MATHEMATICVM THORVNENSEM
V. C.
SVPER OBITV
AMPLISSIMI VIRI
GEORGII HVBNERI
PRÆCOS. THORVNENS.

PAULE, Mathematicis non infima gloria Rebus,
Quemque sibi Civem regna Pelasga velint;
Ultima quæ nobis HUBNERI pagina lecta est,
Heu mihi! quàm Fati conscia visa fuit.
Annos illa mihi faciles, vitamque precari:
Spemque sibi parvam, spem faciensque mihi.
Sit pudor à nobis procul iste nefasque profanum,
Inter amicitias cesset ut ille meas.
Post WACHSCHLAGERI, postque inclyta funera PRUSSI,
Tertius HUBNERI me sibi strinxit amor.
Fecerat inprimis fidum mihi Casus Amicum,
Quô vacuum JANI Sarmata flebat Ebur.
Quô scissam inter se Gentem miratus & Orbis:
Dum nequiit Tabulas antevenire Jovis.

Donec

Donec in AUGUSTO steterunt Suffragia Cœli,
Et potuit TANTO vincere REGE Lechus.
Hos inter motus, hæc inter nubila rerum,
Quanta Viro pietas, quantaque cura, fides!
Litera nulla mihi lecta est sine amore Regentum:
Et veteri Danaum stabat, ut ante, loco.
Si salebras nobis aliquando Senacla ciebant,
Tutior interpres vixit amata manus.
Mutua sic nobis concordia sæpe renata est,
Vicit & ignoti machina sæpe DEI.
Æmula sic Patribus virtus. par cultus & Ostri.
Visus & infractus posse redire Tripus.
Hæc ego. Tu verò PATER optime, publica tracta.
Tu reputa Fastos, Tu meritumque VIRI.
Ille mihi supra Spartam fuit. omnis & Horæ.
Ante alios patrii gnarus ô ille Poli!

JOAN. ERNEST. SCHMIEDEN.
PRÆCOS. GEDAN.

Recusum THORUNII, iuxta Exemplar GEDAN. ipso funerationis die, quæ erat XXI. Novembris ineuntis seculi decimi octavi.

IOHANNI ERNESTO SCHMIEDEN,
PRÆCONSULI GEDANENSI S. P.

ILLUSTRIS DOMINE!

ELEGIA tua & solatium mihi & gaudium attulit: nihil enim tam lætum, quod hac lætius, nihilque tam triste, quod non per hanc sit minus triste. Nimirum lætitia perfusus sum, mihique summæ dignationi fore putavi, quod tam honorificam studiorum meorum mentionem feceris, quam voto petere immodicum duxissem. Quod vero rebus humanis exemptam Amicorum trigam, arcto familiaritatis fœdere Tibi iunctam, lugeas, nos quoque angit. Erat quippe PRUSSUS PRÆCOS, ingentis animi Vir, & Togæ temporibus, & difficillima Obsidione THORUNII clarus ac celebris, qui occupata à Svedico milite Acropoli hac, unus repertus fuit, qui neque Carceris, neque iacturæ fortunarum denunciatione, de fidei & constantiæ gradu in Regem suum, cuius hic vices gerebat, deiici poterat. Qua infracta virtute impendentem Civitati tempestatem avertit, & a IOH. CASIMIRO, recuperata post urbe, Purpura aureoque torque condeoratus fuit. Quantum in WACHSCHLAGERO, principe viro amiseris, testantur tot Epistolarum Centuriæ, & Elogia, Manibus eius sacra, quorum lectione anceps hæreo, utrum dicendi vim, an rerum sublimitatem magis admirari debeam. Summa illis inest facultas, copia, ubertas: scribis semper ex tempore, sed tanquam diu meditatus fueris, quod Plinius de Isæo suo prædicat. Quo affectu etiam HUBNERUM NOSTRUM amplexus sis, cum præsens ELEGIA loquatur, quid attinet dicere? Sed occiderunt eheu! magna hæc Reip. Columina! occiderunt, mole curarum incumbentium fracta! Solus Tu superes, magne Senex, visu & auditu venerabilis! Atque ut animi magnitudine severitatis mansvetudinisq; temperamento illis suppar: ita fovendorum ingeniorum laude, ac prope divina Carminum dulcedine, longe superior. Movet Musa tua omnibus admirationem, Poetis præcipue, qui Te grandem natu, tam vivido viridique animo ea sacra recolere mirantur, in quibus senes vigorem iuventæ atque impetum, senilem vero gravitatem iuvenes venerantur. Sed qua tandem fronte ego excutiam ruborem, qui mihi ex alto suffusus est? Ingens profecto in summo honore facilitas est, umbratile nomen, clarissimis toto Orbe Viris iungere, divinissimoque Eloquio celebrare! Quæ tua, DOMINE, in tanta fortunæ maiestate moderatio est? Sufficiebat, si Te abs homine peregrino & Mathematico pulvere squalenti, coli voto atque observari patereris. at Tu eundem, sacro Gratiarum ore, amplissima laude exornare dignatus es. Erubesco totus, & cum rem immensam verbis exprimere non possim, DEUM immortalem obsecro, ut mihi mentem largiatur, si non capacem, certe intelligentem tantæ benignitatis! Postquam ergo ita animum obfirmasti, unum quæso precorque, ut periclitantibus Musis porro faveas, atque in spem liberalioris fortunæ ad meam quoque tenuitatem clementer respicias! Tunc Te Servatorem nostrum ad sidera tollemus, ereptique Gymnasii CURATORIS desiderium lenius mitiusque feremus. VALE, cum Atlantibus Reip. SCHROEDERO, FERBERO, SCHLIFIO, HOPPIOQ. quorum perclementi patrocinio me meaque studia devote commendo. Iterum VALE! *O decus, & famæ merito pars maxima nostræ!*

GLORIÆ ÆTERNITATIS Q. T.

perpetuus Admirator

PAULUS PATER.